UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

Visual Library

ne de non perperam utendo caverent. Suis autem officialibus ſuperioritatem, regalia, jurisdictionem, & illa reliquit, quæ propria Principis civici Magiſtratûs capacitatem tranſcendunt. Clero fuit moleſtior, (a) cui vigeſimam partem redituum intercepit. * Tandem † Erfordiæ obiit (b) Eberhardus, ibique apud Franciſcanos (de quorum familiâ fuiſſe creditur) ſepultus jacet. Ceſſit igitur Moguntiæ de hac præda nihil, ſed Henrici eâ lege pacem inierunt, † ut Thuringia Margravio de Miſniâ, Haſſia Duci de Brabantiâ, ſalvis tamen Moguntiæ juribus & territoriis, quæ ante hoc bellum in utrâque poſſedit, cederet.

* MCCLX. *Obit Erfordiæ.*

Æmuli qui de Thuringia contenderant pacẽineunt.

XXIII. *Imperium ſine Cæſare & quæ hinc damna?*

Imperium † interim ſine Cæſare fuit, cumque non eſſet, qui timeretur, cædes, violentiæ, deprædationes, depoſito ſceleris nomine, fortitudinis gloriam aſſumpſerant. Nobiles ex arcibus hinc inde prædas in omnem viciniam egerunt, & quoniam frequenti mercatui jam tum incubuit Erfordia, graviter hoc malo preſſa, interceptis paſſim mercibus, & ipſis adeò civibus, non ſine divite litro dimittendis † commota ob hæc Civitas idoneos ad arma deligit, varias arces, quibus pro receptaculis latrones utebantur, oppugnat, ceſſit hoc tam feliciter, ut, cum hanc Germaniæ partem à latronibus purgaſſet, enco-

Erfordiæ encomium, Civitas pacis meretur.

(a) MS. chron. Petrenſe.
(b) Trithemius.

encomium, CIVITAS PACIS, acceperit. * Inter hæc bella Senatus † à Wernero ſocietates lanionum, (a) & piſtorum abrogari ſupplex petit: ſeu quod creverat illarum potentia, & cum hac curiæ exceſſus notandi libertas, ut à ſenatu timerentur. Vel in cives æqualis amor privatæ nobilitati invidebat; quidquid ſit, bono publico molimen ornabatur: eſſe Monopolium Civitatis malum, quod paucorum lucris emat communia damna, huc reſpicere tribus, aut merces & operas vendentium claſſes, modo nuper in reip. perniciem congregatas. Diſpergendas potius divitias in plures, quam avaritiæ paucorum mancipandas, ne vel hi nummorum fiduciâ inſoleſcant, vel egenos ad novarum rerum cupidinem indigentia cogat. Illa an civilis ſocietas, ubi neceſſitas omnium avaris paucorum crumenis commendata? quin potius ad neceſſitatem communem ſublevandam, ſocios, cives invitandos? æquum prætereà eſſe ut gaudeant commodis qui reip. onera ferunt, proinde omnibus qui vectigal ærario Moguntino ſolvunt, ac ab Electorali judicio jura expectant, carnis, paniſque commercium ArchiEpiſcopus concederet, nihil de proventibus, & juribus Electori deceſſurum, ſed quæ ſocietates illæ hactenus ſervitia & reditus præſtiterint, Civitatem in

*MCCLXIV.

Societates lanionum & piſtorum abolentur.

(a) Extant documenta.

in ſe cum ſufficienti indemnitatis cautione ſuſcepturam. Wernerus, cum hæc res univerſi populi favorem concernere videretur, annuit, certaſque leges huic licentiæ præſcribit, pro quâ Senatus, præmiſſâ cautione gratias refert.

Arx Stotternheim expugnata Solo æquatur.

Ex propinqua arce † Stotternheimenſi, quæ multiplici vallo & muris invincibilis habita, ad ipſas Urbis portas prædæ agebantur, (a) frequentiores, quoniam ex ſpeculâ quaſi ad ipſam Urbem univerſa planities, nullo tumulo viſum intercipiente, potuit obſervari. Hæc ergo primam iram experta:

* MCCLXVIII.

* Expugnata ab Erfurtenſibus ſolo æquatur. Viſuntur hodiedum rudera, & vallorum non æquati ſatis tumuli, prædones intercepti capite plexi ſunt.

Res ſecundæ invidiam urbi provocant.

Nata † cum felicibus rebus invidia, quippe vicini Comites huic fortunæ inviderunt, timuerunt etiam victricia arma, quæ civitas per Thuringiam circumtulit.

* MCCLXXV.

Diſſidia cum vicinis comitibus.

* Mox diſcordiæ † ſecutæ, (b) Erfordienſes recentibus victoriis animoſi comitatus invadunt, obvia diſpoliant: Comites è contrà vias obſident, atque commercia, commeatum etiam impediunt. Crevit annonæ caritas in ampla Urbe, nec, niſi continuis eruptionibus importari quid poterat.

Ingens peſtis Erfordiæ.

Inſuper aptis ad arma civibus eguit, cum vix ante triennium † bis mille centum ſexaginta homines peſtis abſumpſiſſet.

(a) MS. Chronicon. Erfurt.
(b) MS. Chron. Erfurt. hoc anno.

ſiſſet. Detulit Urbs (*a*) neceſſitatem † ad Dominum ſuum Electorem Wernerum, multa de comitum injuriis conqueſta auxilium petiit. Ille ſubmiſſis † trecentis (*b*) equitibus ſuccurrit, qui continuò hinc inde vias oberrantes ſecuritatem Urbi reſtituunt. * Prætereà Civitas † Albertum (*c*) Comitem in Gleichen ſibi fœdere ligat. Promittit ille Civitati, cujus cives, majores ſuos fuiſſe prædicat, conſilia pariter, & opem contrà quosvis, Cæſare, Sede Moguntinâ, & patruo ſuo comite Alberto de Gleichenſtein excepto. Tandem ipſe Elector † diſſidentes (*d*) provinciæ proceres Erfordiam invitat, & cauſæ cognitione habitâ litem definit. Varie in id his annis conventum eſt, † ut adverſus turbulentorum invaſiones arma jungerentur. Publicæ, ſeu territorialis pacis nomine fœdera inita, vis uni illata pro communi injuriâ acciperetur, (*e*) ne calumniæ locus eſſet, judicia ex pacto conſtituerentur, quæ de fractâ pace cognoſcerent. Nocentes illico læſæ parti ſatisfacerent, aut fœderatis armis poſſeſſionibus exuerentur. Capita fœderum aliàs Ar-

Erfordia à Comitibus preſſa à Wernero auxilia petit.

Wernerus defert.

*MCCLXXVII.

Urbis fœdus cum comite de Gleichen.

Elector Mog. Thuringiæ proceres urbi conciliat.

Inter Thuringiæ proceres fœdera pacis publicæ icuntur.

(*a*) Additionator ad Lambertum Schaffnaburgenſem hoc & ſeq. Anno.

(*b*) MS. Chron. Erfurt. hoc anno.

(*c*) *Extat confectum deſuper inſtrumentum.*

(*d*) Rivander *&* *alii.*

(*e*) *Extant varia inſtrumenta in Archivo ſuper his pactis* deß Land-Friedens *concepta.*

ArchiEpiſcopi, interdum Landgravii ſu-êre, ſic tamen ut amicâ civilitate adverſus ſe invicem arma ſociis nunquam ſponderent. Iſta ex pacto judicia libertati Urbis pericula, & turbas poſteà pepererunt, (a) veteri jam tum arte, potentioribus omnem ſubjectionis ſpeciem, in argumentum dominatûs acceptantibus.

XXIV. * MCCLXXXI. *Senatus ob conditū ſtatutum indignationem Electoris incurrit.*

* Dum Erfordiæ præſens ArchiEpiſcopus moraretur, † Clerus ſuper iniquitate ſtatuti, (b) quod recenter Senatus publicarat, querebatur. In eo bonorum immobilium in Clerum donationes, & quamlibet translationem dominii ſub caducitatis pœnâ prohiberi, manifeſtam cleri injuriam hoc reſpicere, idque temeritatis hîc notandum eſſe, quod iniquiſſimam legem ob reverentiam, & honorem S. Matris latam Senatus in præfatione dicat. Hic multis innocentiam ſtatuti defendit: *Nihil in Cleri injuriam actum, amplâ poteſtate pretium cujuſvis rei donandæ relictâ: poſſeſſiones rerum immobilium meritò Clericis invideri: eſſe ijs manum mortuam, ad omnes Reip. neceſſitates torpentem, nihil temeritatis ſe committere, quod in reverentiam & honorem matris pro utilitate filiæ ſtatuta condat.* Elector Senatui poteſtatem ſecundum leges jam latas Urbem adminiſtrandi conceſſam, novas

ferendi

(a) *Cum Landgravii in argumentum ſuperioritatis poſteà allegarint in Tractatibus pacis Monaſterii. Vid. deductio Saxonica jura Superioritatis in Erfordiâ concernens Monaſterii exhibita.*

(b) *Extat hodiedum in antiquo ſtatutorum libro quod aſſervatur in Curia.*